

CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

LENT TERM, WEEK 4

1. Translate:

Gyas loses his temper with his helmsman, Menoetes, and takes matters into his own hands.

'quo tantum mihi dexter abis? huc derige cursum;
litus ama et laeua stringat sine palmula cautes;
altum alii teneant.' dixit; sed caeca Menoetes
saxa timens proram pelagi detorquet ad undas.
'quo diuersus abis?' iterum 'pete saxa, Menoete!
cum clamore Gyas reuocabat, et ecce Cloanthum
respicit instantem tergo et propiora tenentem.
ille inter nauemque Gyae scopulosque sonantis
radit iter laeuum interior subitoque priorem
praeterit et metis tenet aequora tuta relictis.
tum uero exarsit iuueni dolor ossibus ingens
nec lacrimis caruere genae, segnemque Menoeten
oblitus decorisque sui sociumque salutis
in mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
ipse gubernaculo rector subit, ipse magister
hortaturque uiros clauumque ad litora torquet.
at grauis ut fundo uix tandem redditus imo est
iam senior madidaque fluens in ueste Menoetes
summa petit scopuli siccaque in rupe resedit.
illum et labentem Teucris et risere natantem
et salsos rident reuomentem pectore fluctus.

(Virgil)

2. Prepare:

A bad asthma attack leads Seneca to contemplate his impending death.

ego vero et in ipsa suffocatione non desii cogitationibus laetis ac fortibus acquiescere. 'quid hoc est?' inquam 'tam saepe mors experitur me? faciat: at ego illam diu expertus sum.' 'quando?' inquis. antequam nascerer. mors est non esse. id quale sit iam scio: hoc erit post me quod ante me fuit. si quid in hac re tormenti est, necesse est et fuisse, antequam prodiremus in lucem; atqui nullam sensimus tunc vexationem. rogo, non stultissimum dicas si quis existimet lucernae peius esse cum exstincta est quam antequam accenditur? nos quoque et exstinguimur et accendimur: medio illo tempore aliquid patimur, utrimque vero alta securitas est. in hoc enim, mi Lucili, nisi fallor, erramus, quod mortem iudicamus sequi, cum illa et praecesserit et secutura sit. quidquid ante nos fuit mors est; quid enim refert non incipias an desinas, cum utriusque rei hic sit effectus, non esse?

his et eiusmodi exhortationibus - tacitis scilicet, nam verbis locus non erat - alloqui me non desii; deinde paulatim suspirium illud, quod esse iam anhelitus coeperat, intervalla maiora fecit et retardatum est. at remansit, nec adhuc, quamvis desierit, ex natura fluit spiritus; sentio haesitationem quandam eius et moram. quomodo volet, dummodo non ex animo suspirem. hoc tibi de me recipe: non trepidabo ad extrema, iam praeparatus sum, nihil cogito de die toto. illum tu lauda et imitare quem non piget mori, cum iuвет vivere: quae est enim virtus, cum eiciaris, exire? tamen est et hic virtus: eicior quidem, sed tamquam exeam. et ideo numquam eicitur sapiens quia eici est inde expelli unde invitus recedas: nihil invitus facit sapiens; necessitatem effugit, quia vult quod coactura est. vale.

(Seneca)